



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

V. De natura instrumenti, seu causæ instrumentalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

fit fundamentum, quod suadeat accidentibus inesse virtutem inadaequatam ad accidentia producenda, neque ratio aliqua, quae suadeat unum ignem non esse causam adaequatam aliis ignis, & quia neque virtutes sine fundamento entitibus sunt concedendae, neque sine illo sunt multiplicandae partiales causae pro aliquo effectu. Neque utilitatem aliquam reperio in hac virtute in accidentibus reperta, quia quando accidentia sunt separata à substantiis, cum illa non sufficiant adaequatè substantiam producere, recurrendum est ad Deum ut suppleat defectum substantiae: ergo etiam si accidentia talem virtutem non haberent, possemus etiam recurrere ad Deum ut suppleret influxum causae adaequatae. Quando accidentia substantiam comitantur, potest tota virtus actiua tribui substantiae: ergo nihil mouet ad hanc virtutem accidentibus tribuendam: non ergo illis sine fundamento danda est. Dicunt nonnulli hanc virtutem dari in accidentibus, vt substantiae mediis accidentibus cum quibus vnum principium effectuum adaequatum efficiant, possint aliam substantiam producere in passo distanti: v.g. vt Sol possit aurum effectiue producere medio calore approximatus, quia simul cum illo vnum principium adaequatum constituit, quod si non constitueret non posset ratione distantiae aurum producere. Respondeo sine hac virtute productiua substantiae in accidentibus reperta, rem aliter esse componendam, vel hanc virtutem denegandam.

QUARTA CONCLUSIO. Non repugnat dari accidens, quod possit simul cum substantia aliam substantiam producere per virtutem inadaequatam, quam habeat ad illam producendam. Hanc conclusionem probabo ex eo quod praecedens altiores non habeat radices, praeter illas, quas ad illam persuadendam ostendi, quae non probant, non posse dari accidens, quod talem virtutem non habeat, sed tantum non esse fundamentum, vt hac virtus accidentibus, quae modò existunt concederetur. Ceterum dupliciter potest habere accidens virtutem inadaequatam ad substantiam producendam. Primò potest habere virtutem productiua ad producendam substantiam cum alia substantia quae per se solam possit substantiam producere, non tamen renuat adiuuari virtute accidentis ad effectum quem sine illius consortio posset producere. Secundò potest dari accidens habens virtutem inadaequatam producendi substantiam, cum alio principio substantiali, quod similiter ex se sit principium inadaequatum non potens sine illo accidenti substantiam producere. Affirmo utroque modo posse conuenire accidenti possibili hanc inadaequatam virtutem: Erit ratio: nullam implicationem inuolueretur naturam talis accidentis, neque esse de ratione substantiae non posse produci ab accidenti tanquam à principio inadaequato, neque non posse cum accidenti constituere principium adaequatum alius substantiae, cum enim sint plures substantiae, quae non possint aliam, etsi similem producere, neque inadaequatè, cur non poterit esse aliqua, quae tantum possit inadaequatè, & non adaequatè, neque est contra rationem accidentis esse productiua substantiae per virtutem inadaequatam, & cum principio alio substantiali ex se adaequato, siue inadaequato, hic & nunc vnum principium adaequatum constituere huius effectus ex vi huius causalitatis. Haec omnia constabunt ex argumentorum solutione.

Obiic. Accidens ex se est improprium ad producendam substantiam: ergo nequibit simul cum substantia substantiam producere. Distinguo antecedens: accidens, quod modò existit, concedo: accidens praecise ex praedicato accidentis, subdistinguo: est improprium ad producendam substantiam per modum principij adaequati, concedo: per modum principij inadaequati concurrentis cum alio principio substantiali, nego. Instant; nullum est praedicatum, quod possit correspondere in effectu substantiali principio accidentali: ergo non potest neque inadaequatè substantia ab accidenti procedere. De hac correspondentia praedicatorum inter effectum & causam dicam punct. 9. interim dico, omnia praedicata effectus substantialis posse correspondere praedicato specifice principij accidentalis, non formaliter, sed eminenter, quia omnia possunt in virtute illius contineri, non tanquam in virtute seu principio adaequato, sed tanquam in principio inadaequato, neque alia praedicatorum correspondentia necessaria est inter causam, & principium inadaequatum, praeter correspondentiam virtutis continentis emi-

nenter, & effectus eminenter contenti, quae nullam dicunt correspondentiam formalem praedicatorum eiusdem rationis inter effectum & principium inadaequatum, neque omnium, sed aliquorum quae postea assignabo inter effectum & adaequatum principium. Rursus constat: omnia praedicata, quae sunt in effectu substantiali sufficienter correspondere principio substantiali: ergo non possunt correspondere principio accidentali. Distinguo antecedens: correspondent formaliter, transeat: correspondentia enim formalis non arguit virtutem adaequatam, neque inadaequatam. Angelus enim secundum omnia praedicata correspondet Angelo quem non potest producere: correspondent eminenter, subdistinguo: in substantiis possibilibus, quae tantum habent virtutem inadaequatam ad producendum effectum, correspondent eminenter tanquam principio adaequato, nego: tanquam principio inadaequato, concedo; In aliis, quae sine accidenti possent producere substantiam, correspondent omnia praedicata effectus ex vi causalitatis, per quam possent sine accidenti effectum producere, concedo: ex vi aliis causalitatis, per quam possunt cum accidenti effectum eum producere correspondent omnia praedicata effectus tanquam principio adaequato, nego: tanquam principio inadaequato, concedo, quia principium ex se potens sine aliis consortio ex vi huius causalitatis effectum adaequatè producere, ex vi illius, quae per se dependet ab illo principio, & ab alio, non potest non esse principium inadaequetum effectus, neque medià illà potest effectum adaequatè producere, neque illum adaequatè continet, sed tantum inadaequatè per ordinem ad talem causalitatem.

Obiic. D. Thom. 1. p. q. 5. art. 4. asserentem substantiam non esse immediatè operatiua substantiae. Interpretor D. Thomam dicentem substantiam non esse immediatè operatiua aliis substantiae, quia prius producit accidens & medio illo disponit subiectum, quia dispositione praemissa substantia productionem attingit aliis substantiae medio accidenti tanquam dispositione, non verò medio illo tanquam virtute effectiua.

Obiic. nullam posse assignari causam praeter accidentia multis substantiis, quae producuntur naturaliter, ex quo inferitur necessariò accidentibus virtutem effectiua illarum concedendam esse. Respondeo: omnia esse componenda absque virtute effectiua accidentium respectu substantiae. De quibus dicam Controu....

PUNCTUM V.

De natura instrumenti, seu causae instrumentalis.

PROlixas disputationes vidi apud aliquos de natura, seu ratione constitutiua causae instrumentalis. Ego verò in hac re nihil speciale notatu, nedum disputatu dignu inuenio. P. Vazquez 1. part. disp. 43. & saepe alibi causam principalem appellat illam, cui correspondet aliquod praedicatum in effectu; causam verò instrumentalem illam, cui nullum praedicatum correspondet: v. g. lumen gloriae & potentia visiva efficienter concurrunt ad visionem beatificam vitalem, & supernaturalem, qua supernaturalis est indiget lumine supernaturali, qua vitalis indiget potentia vitali, & ita utrique causae suum praedicatum correspondet in effectu, ratione cuius, causae principalis rationem utraque habet; accidens verò concurrens ad productionem substantiae, in qua nullum illi praedicatum correspondet non dicitur principalis, sed instrumentalis causa. Non ego in meis principiis haec compono, sentio enim omni virtuti productiuae correspondere effectum tanquam virtuti, in qua eminenter continetur, & omnem aliam correspondentiam non requiri ad rationem causae. Statui insuper accidentia non posse concurrere ad substantiam producendam & ita teneo aliam instrumenti rationem assignare.

Sentiunt alij instrumenta dici accidentia, quae subiectu disponunt ad formam recipiendam, mediis quibus agens operatur, & in hoc sensu existimo accidentia propriis dici instrumenta quacumque alia causa immediatè attingente substantiam, quia sicut artifex mediis instrumentis statum conficit, sic substantia mediis accidentibus tanquam dispositionibus substantiam producit, licet similitudo non teneat in omnibus, nam, vt postea dicam, instrumenta artis propriè non sunt instrumenta, quia effectiue concurrunt.

3 Dicitur etiam solet maxime inter Thomistas causa instrumentalis illa, quæ per aliam concausam altioris ordinis eleuatur ad producendum effectum, quem non potest producere sine alia concausa alterius ordinis. Verbi gratia, intellectus dici solet instrumentum luminis gloriæ supernaturalis, quatenus cum illo concurrat ad visionem supernaturalem producendam, quo sensu phrasim est Thomistarum lumen gloriæ esse totam virtutem ad producendam visionem, & intellectum esse instrumentum. Cum his multum contendendum non est, si concedant visionem effectiue dependere à lumine, & ab intellectu, & ab utroque immediate, & per se: hoc enim admissio quæstio est purè de nomine, an intellectus dicendus sit causa instrumentalis, vel principalis, quæ cum tantum dependeat ex modo loquendi, nulla potest efficaci ratione definiri.

4 Deinde causa instrumentalis non immerito diceretur illa, quæ sine alia concausa per concursum in debitum eleuaretur à Deo modo postea explicando de potentia obedienciali ad producendum effectum, quem naturaliter non potest producere, quia tunc licet effectus dependeret à causa non exigeret illius productionem, & ita potius Deo tribueretur effectus tanquam causæ principali, quam creaturæ, quæ velut instrumentum Dei volentis talem effectum producere concurreret.

5 Alij latius hanc rationem instrumenti, extendunt asseruntque quamlibet causam partialem, quæ cum alia concausa perfectiori effectum producit, dici instrumentum perfectioris concausæ. Sic speciem impressam respectu potentie vitalis, cum qua ad actum concurrat, instrumentum appellant, quia est longè imperfectior potentia vitali. Ab hoc loquendi modo non longè abest D. Thomas, qui asserit phantasma concurrere cum intellectu tanquam illius instrumentum ad speciem impressam producendam, quapropter illum improbare non audeo, assero tamen illum non esse commune, quia cum causa particularis non exceditur ab alia concausa in prædicatis vniuersalioribus, supernaturalis videlicet respectu naturalis, spiritualis respectu materialis eiusdem rationis computatur in ordine ad denominationem instrumenti, vel causæ principalis. Exemplum adductum à Sancto Thoma tantum posset probare de hoc notabili excessu, quia phantasma, vt pote materiale exceditur ab intellectu spirituali in prædicato valde vniuersali spiritualitatis. Lege Patrem Soar. disput. 28. sectione secunda.

PUNCTUM VI.

De potentia actiua obedienciali respectu actuum vitalium.

1 Potentia naturalis dicitur comparata illis effectibus, quos potest causare cum concursu generali sibi debito, vel præcisè sumpta, vel quatenus coniuncta cum aliis comprincipiis, quæ naturaliter illi possunt adiungi. Potentia obediencialis dicitur virtus causatiua in ordine ad effectus, quos non potest producere per concursum debitorum potentie secundum se, neque illi cum aliis comprincipiis, quæ naturaliter illi possunt coniungi, exempli gratia. Potentia ignis ad calorem producendum, & intellectus animæ ad intellectionem, naturales dicuntur, quia igni debetur concursus ad calorem producendum in se, quocumque alio modo, & in passo supposita applicatione, quæ naturaliter potest contingere, & animæ intellectus licet secundum se sumpta absque omni specie non debeatur concursus ad cognitionem, illi tamen debetur supposita specie impressa, quæ naturaliter illi potest adiungi. Potentia, quam habet anima ad actum amoris Dei fidei diuinæ, & visionis intuitiue circa Deum obediencialis est, quia animæ secundum se sumpta, neque quatenus coniuncta cum alio comprincipio, quod illi potest naturaliter coniungi non debetur concursus ad hos actus, sed tantum quatenus coniuncta cum habitibus supernaturalibus animæ indebitis, quos ipsa naturaliter consequi non poterit.

2 Potentia obediencialis dicitur quatenus concurrat ad hos actus, quibus illi non debetur concursus, nisi quatenus coniuncta cum principijs indebitis, & altioris ordinis, quia secundum effectus, quos hac ratione producit, cum ipsa illorum productionem quatenus ex se non intendat, sed determinata à Deo immediate vel medio principio altioris ordinis, quod Deus infundit potentie, obedire di-

citur creatori, quatenus subditur illius determinationi circa effectum, quem ipsa non intendebat. Dicitur potentia hæc eleuari ad actus producendos, in ordine ad quos obediencialis dicitur, quia per comprincipium illi præstitum, vel speciale omnipotentie assistentiam ad concursum indebitum constituitur iam magis potens in actu primo, quam erat antea ad effectus alterius ordinis, & quasi effertur & extollitur ad actum primum circa hos effectus, ac proinde eleuari nihil aliud est, quam virtute extrinseca sursum tolli.

Intellectum & voluntatem eleuari ad actus supernaturales conducentes ad nostram iustificationem efficiendos, Catholicum est, quod absque temeritate, negabit nemo. Extant de hac re plurima testimonia Scripturæ, & Patrum quibus dicitur liberum hominis arbitrium cooperari gratiæ Dei, & quæ hominibus hæc opera suadent, quæ suasionibus inutiles essent, si homines nihil in hos actus efficerent. Videri possunt de hac re Bellarm. lib. 6. de gratia & libero arbitrio. Vega in Trid. lib. 6. cap. 2.

Potentiam passiuam animæ intrinsecè naturalem eleuari ad actus supernaturales certum est apud omnes, quia si actus dispositiones alias requirerent ex parte passivæ, de his inquirerem an essent naturales an supernaturales: si supernaturales, iam potentia passiva eleuaretur ad formam supernaturalem disponentem ad alios actus supernaturales recipiendos: si naturales, potentia passiva intrinsecè naturalis nulla dispositione supernaturali præmissa reciperet actus supernaturales, ac proinde immediate ad illorum receptionem eleuaretur, quia per aliquid naturale eleuari non posset. Potentiam actiuam animæ eleuari ad eisdem actus producendos tenet communis sententia Theologorum. Ita tenent quatuor primæ nostræ Societatis fulgentissima lumina P. Mol. 1. part. q. 12. art. 5. disp. 2. §. Quisquid autem sit. P. Valquez 1. part. disput. 43. cap. 4. num. 1. & 12. vbi oppositam improbabilem censet, & disput. 12. §. 6. §. P. Soar. 1. part. lib. 2. de visione Dei cap. 9. n. 13. & cap. 10. num. 8. & sæpe alibi. P. Val. 1. part. disp. 1. q. 12. quos nullo dempto sequuti sunt omnes Doctores nostræ Societatis, quorum longum syllabum inuenies apud Ripal. tract. de super. disp. 30. sect. 2. In oppositam sententiam eunt Thomistæ negantes immediatam actiuitatem animæ etiam inadæquatam respectu actuum supernaturalium, quam totam tribuunt habitibus supernaturalibus, quos dicunt concurrere tanquam totam virtutem, media qua anima operatur, sicut multi potentias superadditas admittunt, qui totum concursum deferunt intellectui respectu intellectionis naturalis, ita vt anima immediate non concurrat ad illum; ita nonnulli Thomistæ totum influxum actiuum in actus supernaturales habitibus supernaturalibus tribuunt, asseruntque hos concurrere ad actus, non solum vt spirituales, sed vt vitales, quia concurrunt loco animæ tanquam potentiam supernaturalem illi infusam. Huius sententiæ primus inuentor fuit Sotus in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 2. quem sequuti sunt Aladeaux. disput. 64. concl. 2. & disp. 35. art. 3. Cabr. 1. in 3. part. quæst. 1. art. 2. disp. 4. §. 1. Maior. part. quæst. 12. art. 5. contr. 2. §. Tercio aduertendum. Hos voce tenus sequuntur alij plurimi Thomistæ asserentes habitibus supernaturales concurrere ad actus tanquam totam virtutem illorum, qui postea concedunt intellectum, & voluntatem immediate effectiue attingere hos actus non tanquam virtutem, sed tanquam instrumentum ad illos: horum vidi plurimos publicis disputationibus, ita sententiam suam interpretantes, cum quibus multum non esse contendendum non ui punct. præcedenti num. 3. Refertur etiam tertia sententia asserentium potentias naturales vitales effectiue concurrere ad vitalitatem actuum non verò ad illorum supernaturalitatem.

Primo loco reicienda sententia, quæ asserit potentias vitales concurrere ad vitalitatem actuum, & non ad supernaturalitatem illorum, Contra quam sic insurgo. Vitalitas, & spiritualitas actus amoris Dei, verbi gratia, non distinguuntur inter se: ergo implicat produci vitalitatem huius actus ab hac causa, quin supernaturalitas producat ab eadem causa, & ex vi eiusdem actionis, aliàs eadem entitas produceretur, & non produceretur ab hac causa, & produceretur, & non produceretur ex vi eiusdem actionis. Secundò habitus, & potentia vel influit in actum per eundem influxum, vel per diuersum per eundem influxum: ergo totum id, quod attingit ille influxus dependet ab vtraque causa, à quo procedit influxus: sed influxus attingit